

14. *Operativa causa* non una reperitur in *Oraculo* nostro. *Principalis* est ipse *Deus*: sicut enim solus *Deus* baptismi *Sacramentalis* est autor, ita pariter non alius *baptismi principalis* est *Autor*. *Oraculum* nostrum *Causam* hanc *principalem* non uno modo sistit, sed potius triplici respectu. (1) *ἀπλῶς & ἑσιωδῶς*, ita *Deus* ipse dicitur esse *Causa principalis*, quia baptismus etiam hic *principalis* dicitur consilium *Dei Luc. VII.* baptismus hic baptismus è & caelo *Matt. XXI. 25. &c.*, tanquam *opus* ad extra, toti *SS. Trinitati* communis.

15. *ἡετικῶς*, vel *ὑποτακτικῶς* sic refertur hic *principalis baptismus* (a) ad *Deum Patrem*, qui *principalis autor* est *baptismi principalis* (1) *sua εὐδοκία*, de qua luculentissimum edicere testimonium, *ἐν ᾧ εὐδόκησα.* (2) *sua παρρησία*, quia *Deus Pater* in hoc *baptismo* praesentissimus fuit. (3) *sua Eloquentia*, quia *Deus Pater* ipse *baptismalis Oratoris* atq; *concionatoris* partes suscepit, atq; sono caelesti, vereq; mirabili solenniter solenne *testimoniū* expedivit. (4) *sua efficientia*, quia juxta suum aeternum decretum, causaliter operatus est in hoc *baptismo* *principalis*, cuius *praesentia*, vel etiam *eloquentia*, non fuerit *otiosa*, sed *operosa*. (5) *sua εὐλογία*, quia sermo caelestis *Patris* benedictione fuit plenissimus. (6) *sua υἱοθεσία*, quia *Jesus*, tanquam *vicarium* aliquem *Filium*, loco nostri declaravit, ejus filiatione caelesti proclamatione manifestavit, & nos omnes in hoc *Filio* suo liberaliter adoptavit. Ipse *Filius* solenni proclamatione dicitur, nobis autem in hoc *baptismo* *janua filiationis mystica*, vel *spiritualis* aperitur.

16. [b] *Deus Filius*, qui pariter est *causa principalis* hujus *baptismi* (1) *suo spontaneo*, vereq; *principali motu*, quia *Dei Filius* suam *humanitatem* commovit, ut *baptismum* hunc *principalem* expeteret. (2) *suo spontaneo accessu*, quia *Deus Filius* etiam *humanam naturam* excitavit, ut *Christus homo* sponte sua ex *Galilaea* in *Judaeam*, ex *Nazareth* in *Bethabara* veniret, & ad *baptismum Johannis* accederet. (3) *suo economico*, vereq; *principali rogatu*, quia dignum est admiratione fidei, humiliq; veneratione, quod ipse *DEI Filius* *Johannem* orat, ut sibi per *Johannem* *Mysterium baptismum* suscipere liseret. (4) *suo potestate*, vereq;
primo